



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 An chrisma necessario ab Episcopo consecrandum sit ad confirmandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

tic. i. supra cit. Nunc denique magna copia balsami ex India deferretur, quod, siue sit eiusdem speciei physice, siue non (hoc enim nihil ad veritatem sacramenti refert) non est tamen fictitium, neque adulterinum, vt quidam putat: sed verum: licet colore differat: quia in fragrantia boni odoris, & in effectibus, aliisque proprietatibus habet sufficientem similitudinem, & conuenientiam cum alio balsamo Syriaco, & ideo simpliciter & vniuocè balsamū existimatur, & nominatur: propter similem enim rationem vinum, siue sit rubrum, siue album, & siue specie differat, siue nō, simpliciter est vinum, & materia sacramenti.

Atque in hunc modum intelligenda est illa declaratio Pauli III. & alia concessio Pij IV. quæ ab authoribus refertur, consuecendi Chrismata in India cum balsamo illius regionis: non enim existimandum est, dispensasse Pontificem in materia huius sacramenti, sed declarasse tantum illam esse sufficientem materiam, & dedisse facultatem vt eī illa, quod in eo casu prudenter fuit existimatum conueniens, ac necessarium: quia prius solum balsamum Syriacum erat in vsu. In rigore tamen existimo id potuisse fieri etiam sine facultate Pontificis: maxime, si alterius balsami copia non erat: quia illa erat materia sufficienter certa moraliter loquendo. Tandem nihil refert, quod quantitas balsami misti oleo parua sit (quod in fine illius argumenti obicitur) quia non dicimus esse de essentia huius materie, quod singulæ partes eius sint substantialiter mixtæ ex oleo, & balsamo, sed solum, quod ipsum vnguentum sit compositum & mixtum. Nam hoc satis est, vt tota ipsa materia sit odorifera. Quod maxime ad significationem sacramenti desideratur: singulæ etiam partes erunt mixtæ, saltem quoad qualitates per mutua partium alterationem: atq; hoc satis est, vt solum oleum sine mixtione balsami non possit sufficere.

Hic vero inquit aliquis, an sit de necessitate huius materie, vt Chrismata sit nouum & recens illius anni. Nam Fabianus supra dicit, hoc esse necessarium ex Apostolica traditione: vnde in Concil. Carthagin. IV. capit. 36. præcipitur parochis, vt à suis Episcopis singulis annis ante Paschæ solemnitatem Chrismata petant.

Idemque statuitur in Concil. Vasensi. capit. 3. & in Concil. Tolet. I. capit. 12. & colligitur ex capit. 51. ex Collectis à Martino Bracharensi Episcopo, & habetur in capit. Omni tempore. de Consecrat. d. 4. & ex capite. Quoniam, de sentent. excommunic. in 6. Respondetur, hoc non esse de necessitate sacramenti: esse tamen de necessitate præcepti, ita Palud. 4. d. 17. quæstione 1. art. 2. nu. 19. Prior pars certa est, quoniam hæc conditio Chrismatis, quod sit eiusdem vel alterius anni, est valde extrinseca, & accidentalis, vt ad substantiam sacramenti pertinere censetur: neq; in dictis decretis vel in aliis, est aliquod verbum, vnde id colligi possit. Deniq; Concil. Flor. non dixit, Chrismata eodem anno consecranda, sed simpliciter Chrismata esse materiam huius sacramenti: sed quamuis sit vetus, vel alterius anni, est verum Chrismata: ergo est sufficiens materia, quantum ad substantiam sacramenti spectat: quæ ratio probat idem esse iudicium de quouis Chrismate, quamdiu substantialiter incorruptum manet: & fragrantiam seu odorem balsami retinet: nam, si hunc omnino amisisset, aut omnino nulla, aut certe valde dubia materia esset: quia iam videretur omnino corrupta, saltem quantum ad mixtionem ex oleo, & balsamo. Posterior pars probatur sufficienter decretis supra adductis. Hæc enim de causa præcipitur, vt singulis annis in die Cænae Domini nouum Chrismata consecratur, & per parochias distribuatur, & vt vetus concremetur, vt omnes vnctiones: quæ Chrismate consecrantur, nouo, & non veteri Chrismate fiant. Vnde in capit. Si quis de alio, de Consecrat. distin. 4. dicitur. Eum, qui tentauerit Franc. Suarez. Tom. 3.

ex veteri Chrismate baptizatum vngere, nisi præoccupante morte, pro temeritatis aulii ipsum in se sua damnationis protulisse sententiam: ergo à fortiori idem dicendum est de vnctione Chrismatis, quæ fit in hoc sacramento, quæ est omnium præcipua: & præterea in dict. cap. Quoniam. de senten. excomm. in 6. dicitur, Chrismata posse confici in die Cænae, non obstante interdictione: quoniam Baptismus, & Confirmatio dari possunt tempore interdictionis, vt ibi gloss. notat: Quia vetus (inquit) Chrismata non debet esse vetus, neq; de veteri Chrismate debet quis chrismari. Deniq; Fabianus Papa expresse dicit Apostolos iubentes docuisse, non amplius, quam vno anno Chrismata vt: atq; deinceps nouo frui, & non veteri. Hic autem annus computandus est Ecclesiastico more à Paschæ in Paschæ, seu à feria quinta in Cæna Domini ad aliam similem feriam quintam, vt satis colligitur ex citatis decretis.

Fabianus Papa.

SECTIO II.

Virum de substantia, & de essentia huius materie sit, vt Chrismata sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum.

RATIO difficultatis potest esse duplex. Prima est, Ratio dubitandi 1. quia hæc benedictio Chrismatis solum est sacramentale quoddam ab Ecclesia institutum, quod eius autoritate mutationem seu variationem recipit, ergo non est essentialis: nam Ecclesia nihil potest instituire, vel mutare in his, quæ ad substantiam sacramentorum pertinent. Et confirmatur, quia nulla certa, seu determinata benedictio est de essentia huius materie: ergo absolute nulla est essentialiter requisita ex institutione Christi: quidquid enim ex institutione Christi est necessarium ad substantiam sacramenti, habet determinationem, certamque formam ab ipso et Christo. Secunda ratio dubitandi est, quia, saltem non videtur essentialis, quod hæc consecratio fiat ab Episcopo. Nam principalior est administratio sacramenti, quam consecratio materie: sed non est simpliciter de essentia huius sacramenti, quod ab Episcopo conferatur: nam, vt infra videbimus, Papa potest in hoc dispensare, cum tamen non possit dispensare in his, quæ sunt de essentia sacramenti: ergo multo minus Episcopalis benedictio materie erit de essentia.

Ratio dubitandi 2.

In hac re dicendum est, non solum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti ex parte materie esse, vt Chrismata sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum. Hæc est sententia D. Thom. hic, & omnium Theologorum paucis exceptis. Et colligitur primo ex Concil. Flor. loco supra citato definiente materiam esse, Chrismata ex oleo & balsamo per Episcopum benedictum. Fundatur autem hæc definitio in perpetuo vsu Ecclesiæ, & ex traditione omnium Patrum, quos citauimus. Dionysius enim, cap. 4. de Ecclesiastica Hierarch. late describit Chrismatis consecrationem, quæ dicit per Pontificem fieri: Cyrillus vero Hierosolymitan. Catech. 3. Mystag. adeo exaggerat hanc consecrationem, vt illam cum consecratione Eucharist. conferre videatur, dicens, Vide, ne illud esse putes vnguentum tantum: quemadmodum n. panis Eucharist. post sancti Spiritus inuocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi, sic sanctum hoc vnguentum non amplius est vnguentum nudum: neq; si quis ita appellare malit, commune, sed est Chrismata Christi, quæ aduentus Spiritus sancti per ipsius diuinitatem, energiam habet: quæ comparatio sano modo est intelligenda, per quandam similitudinem, vel proportionem, non vero æqualitatem. Fabianus item & Cyprianus, quamuis non expresse nomine consecrationis vtantur, tamen nomine consecrationis Chrismatis idem intelligunt: quia in Ecclesia nunquam est consecratum Chrismata sine aliqua benedictione. Vnde Cyprianus de vnctione Chrismatis,

Chrismata ex necessitate præcepti, & sacramenti debet esse consecratum ab Episcopo. D. Thom. Con Flor. Dionysium. Cyrill. Hier.

Fabianus Cyprianus.



Sanctificatis, inquit, elementis, iam non proprie natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, sed adest veritas signi, & Spiritus sacramenti. Innocentius epistol. 1. ad Decentium, cap. 3. expresse requirit, vt Chrisma sit ab episcopo consecratum, non solum ad Confirmationem, sed etiam ad ceremoniale vnctionem, quæ fit in vertice baptizati post Baptismum. Denique omnia Concilia, quæ docent, Chrisma non posse confici, nisi ab Episcopo, quæ supra tetigimus, & statim insinuabimus, supponunt, consecrationem Chrisma non esse nudam, & quasi materialem mixtionem balsami, & olei (hanc enim quilibet facere posset) sed esse etiam benedictionem aliquam, seu consecrationem, ad quam Episcopalis auctoritas, & consecratio necessaria est, & suo modo concurret. Quocirca vbicumque Patres de Chrismate loquuntur, per Chrisma intelligunt hoc mixtum ex oleo & balsamo sic confectum, & consecratum: & ideo sæpe vocat sacrum, seu sacratissimum, vel sanctum Chrisma, vt legitur in Concil. Trident. sessio. 3. can. 2. & Laodic. cano. 8. vbi vocantur Chrisma celeste, seu supercoeleste. Opatrus Mileui. li. 2. contra Parmenianum, Sacrosanctum Chrisma vocat. Theoph. Antioch. lib. 1. contra Christianæ religionis calumniatores vocat diuinum oleum. Eligius hom. 8. vocat sanctum Chrisma: In Conc. II. Brach. c. 4. vocatur balsamum benedictum, quod pro salute animarum per Spiritus sancti inuocationem consecratur: cum ergo Sancti simpliciter dicunt Chrisma esse necessariam materiam huius sacramenti, loquuntur de Chrismate iuxta prædictum usum: sicut ergo hinc supra colligebamus mixtionem balsami esse necessariam: ita nunc idem colligimus ex eadem traditione de benedictione, seu consecratione materię.

Nec possunt hæc omnia testimonia explicari de sola necessitate præcepti, cum inter essentialia & necessaria simpliciter ex parte materię hæc conditio numeretur: & ideo ab initio Ecclesię inuolabiliter & vniuersaliter obseruata est talis conditio in huius sacramenti administratione. Atque eisdem testimoniis ostendi potest eadem necessitate, & tanquam de essentia sacramenti requiri, vt hæc benedictio, seu consecratio, Episcopalis sit: ideo n. in Synodo Rom. sub Syluest. capit. 3. & Concil. Tolet. I. capit. 20. & Concil. Carthag. II. capi. 3. & Carthag. III. cap. 36. & Hispalen. II. ca. 7. hoc ipsum expresse & disertis verbis cauetur, ne Chrisma à Presbytero, neque ab alio, quàm ab Episcopo cõficiatur. Ratio autem huius veritatis propria est: quia Christus ita instituit, cuius institutio & voluntas satis est nobis per traditionem Ecclesię proposta.

Congruentia vero sufficiens est, quæ traditur à D. Thom. art. 3. vbi eam declarauimus, defendimus, & confirmauimus, immerito quæ eam reicit Durand. in 4. d. 7. q. 2. vbi ipse aliam adducit rationem: scilicet, quia materia sacramenti debet congruere ministro, ideo, vbi requiritur minister consecratus certa consecratione, scilicet Episcopali, materia etiam debet esse sacra certa benedictione, quæ ratio, vt probabilis congruentia acceptari potest: quamquam fundamentum, quod assumit, vniuersale non sit. Nam in Eucharistia sacer minister requiritur certa consecratione, & tamen ex parte materię nulla præsanctificatio necessaria est: & è contrario, in Extrema vnctione in ministro tantum requiritur sacerdotalis consecratio: in materia vero præexigitur Episcopalis benedictio: cuius rei causam suo loco trademus: nam de speciali ratione Eucharistiæ satis dictum est in Commentario articulo tertij.

Ad 1. dubitandi rationem. Prima ratio dubitandi in principio posita postulat, vt explicabimus, qualiter hæc Chrisma consecratio sit iure diuino instituta, ac determinata. Quidam enim Theologi, licet fateantur, nunc esse de necessitate huius sacramenti, vt fiat ex Chrisma-

te consecrato: dicunt tamen posse Ecclesiam in hoc dispensare, seu statuere, vt Confirmatio fiat ex Chrismate non benedicto. Verumque affirmat Paludan. in quarto d. 7. quæstione 1. numer. 19. & quæstione 4. numer. 34. qui consequenter docet, Christum solum in communi, seu disinctum instituisse, vt Confirmatio fieret ex Chrismate consecrato, vel non consecrato: prout Ecclesia id præscriberet: ita tamen, vt illud esset essentialia, & simpliciter necessarium, quod Ecclesia definirer. Fundamentum eius solum est, quia oportuit ita fieri sine vllio incommodo: & quia consecratio, quæ de facto est, non est sacramentum, seu aliquid sacramentale, & est mutabilis per Ecclesiam, & nihil reale addit, sed puram relationem rationis, seu denominationem extrinsecam. Et hanc opinionem fere sequitur Capreolus eadem distinctione septima quæstione 2. ad primum.

Mihi tamen nullo modo probanda videtur hæc opinio: nam, si necessitas huius consecrationis omnino penderet ex voluntate Ecclesię, nulla ratione ostendi posset, illam esse de necessitate sacramenti, vel è contrario, si ea, quæ adduximus, probant (vt vere probant) eam esse de necessitate sacramenti, consequenter etiam conuincunt, non esse in potestate Ecclesię facere, vt materia non consecrata sit sufficiens materia huius sacramenti: nam, quod consecratio requiratur, non ex institutione Ecclesię, sed ab ipso Christo manauit: hoc enim sensu dicunt Patres, Christum in nocte Cene docuisse Chrisma contere. Jam enim ostendimus hanc consecrationem Chrismatem, benedictionem aliquam includere. Vnde Patres omnes, & Doctores in conclusione citati non tantum ex suppositione determinationis Ecclesię, sed simpliciter & absolute sentent esse de essentia huius materię, quod sit consecrata. Et confirmatur nam alioqui non omnia, quæ sunt essentialia in hoc sacramento, essent immediate ex institutione Christi: quod videtur repugnare his, quæ disputatione præcedente tradita sunt. Et est præter communem legem omnium sacramentorum nouæ legis: in nullo enim alio sacramento determinatio materię quoad aliquid essentialia, relicta est arbitrio Ecclesię. Sequela patet: quia nunc consecratio est essentialis, & tamen eius necessitas dicitur simpliciter pendere ex determinatione Ecclesię.

Nec fundamentum Paludani quicquam obstat. Quia licet verum sit, potuisse Christum aliter sacramenta instituire, tamen de facto ipse voluit esse immediatus author sacramentorum omnium, quoad omnia essentialia: & in hoc sacramento absolute voluit, vt fieret ex materia præconsecrata: per quam consecrationem, quamuis nihil physicum materię addatur, deputatur tamen, & quasi in actu primo constituitur, vt possit virtute diuina assumi in instrumentum ad sanctificandos homines, sicut aqua ex contactu Christi dicitur vim accepisse regeneratiuam: est ergo hæc consecratio ex Christi voluntate, veluti conditio quædam necessaria, seu præparatio debita materię huius sacramenti.

Restat vero vterius declarandum, qualis consecratio necessaria sit in hac materia, Christi institutione. Videtur enim necessario dicendum, Christum non determinasse modum consecrationis, sed solum in communi statuisse, vt hæc materia esset consecrata: modum autem consecrationis Ecclesię ordinatione reliquisse: quia nec est verisimile semper in Ecclesia seruatum esse illum modum consecrandi Chrisma, quem nunc Ecclesia tenet, nec fortasse nunc eundem modum in vniuersa Ecclesia, nisi tam Latina quam Græca, seruari: cum tamen ea, quæ sunt ex institutione Christi, eadem sint apud omnes: ergo

Concil. Trid. Laodic. Opatrus Mileui. Theoph. Antioch. Eligius. Conc. Brach.

Syno. Rom. Conc. Tolet. Carthag. II. & III. Hispal. II.

Durand.

Ad 1. dubitandi rationem.

ergo sola consecratio in communi est essentialis: modus autem est solum ex determinatione Ecclesiae. Et hoc etiam docet Palud. supra, eiusque opinionem, quoad hoc sequitur Soto. d. 7. artic. 3. & absolute loquendo, ita sentiendum videtur. Potest autem duobus modis hoc explicari. Primus est, ut facta ab Ecclesia determinatione consecrationis, iam non tantum consecratio absolute, sed etiam talis modus consecrationis sit essentialis, & simpliciter necessarius. Et hoc etiam affirmat Palud. & consequenter loquitur: videntur tamen incidere in eadem incommoda, quae contra priorem partem eius sententiae à nobis illata sunt; nimirum quod aliquid nunc de facto sit essentialis, quod Christus immediate non instituit: & quod essentia sacramenti pendeat ex institutione Ecclesiae. Sed reuera non est, quoad hoc similis ratio, unde quoad hanc partem posset hanc sententia probabiliter sustineri, dicendo, facta ab Ecclesia determinatione, & definito modo consecrationis: solum illam habere rationem sacrae caeremoniae, & religiosi cultus, & ideo illam solum vere esse benedictionem sacramentalem, omnemque alium modum fore superfluum, & sacrilegum, magisque maledictionis, quam benedictionis nomen mereri. Atque hoc modo non est inconueniens, materiam sacramenti pendere aliquo modo ex institutione Ecclesiae, non quia ab illa pendeat designatio materiae, sed quia ab illa pendere potest existentia (ut sic dicam) ipsius materiae, seu quod talis reuera sit, qualis Christus postulat. Sicut in sacramento matrimonij ex ordinatione Ecclesiae pendet, quod hic sit verus contractus, vel non: & in sacramento Confessionis pendet ex iurisdictione Ecclesiae, quod hanc sit vera confessio, vel non. Secundus tamen modus explicandi hanc rem esse potest, Christum instituisse, ut Chrisma consecraretur per sancti Spiritus inuocationem: ut Sancti patres supra citati loquuntur, ideoque, quomodocumque fiat haec consecratio & benedictio, dummodo ab Episcopo debita intentione fiat, esse sufficientem ad substantiam sacramenti, quamuis non seruetur modus ab Ecclesia praescriptus. Nam quoad hoc, caeremonialis magis videtur, quam substantialis, & ideo, licet sit necessarius necessitate praeepti: non tamen sacramenti, atque ita videtur opinari Soto supra dicens, variare consecrationem materiae, non esse substantiam eius mutare: atque adeo nec substantiam sacramenti. Et potest hoc confirmari, quia non est verisimile, omnes deprecationes, benedictiones, & caeremonias: quae iuxta Romanum ritum sunt in consecratione Chrismatum, esse de substantia huius materiae, seu essentialis consecrationi eius. Neque etiam designari possunt aliqua verba vel facta, in quibus consistat essentia talis consecrationis, ut facile patebit attentè legenti, & consideranti totum illum ritum: ergo dicendum est, solum esse de essentia, quod materia consecratur per Episcopalem benedictionem, & sancti Spiritus inuocationem. Nam in hoc satis saluatur Christi institutio & hoc de se semper est sanctum & pertinens ad diuinum cultum, quamuis in omissione aliorum quae praeepta sunt ab Ecclesia, possit peccatum intervenire: si tamen in diuersis Ecclesiis sunt in hoc diuersi ritus probata consuetudine recepti, illa varietas, & licita est, & non est in re substantiali, sed accidentali sacramenti. Non omitam aduertere August. tract. 113. in Ioann. in fine significare, ut rite fiat haec consecratio, necessarium esse, adhiberi signum Crucis. Sed cum August. idem ibi dicat de aqua Baptismi, non videtur loqui de ritu essentiali, sed de ritu necessario ex praeepto, & consuetudine Ecclesiae. Atque ita sufficienter responsum est ad primam difficultatem.

In secunda petitur aliud & dubium, scilicet, an sit omnino essentialis, & omnino inuariabile, quod benedictio sit Episcopalis, quod dubium posset remitti in

disputationem de ministro: tamen, ut plena notitia huius materiae habeatur, hic poterit expediri. Caietanus ergo hic articulo tertio in dubium reuocat, an Confirmatio facta cum Chrismate à simplici Sacerdote consecratio sit verum sacramentum: & putat, affirmantem partem esse magis rationi consentaneam, quia Sacerdos simplex potest efficere maximam consecrationem, scilicet Eucharistiae: ergo & quamcumque minorem, ita ut facta teneat, quamuis peccet faciendo. Haec vero Caietani opinio singularis est, & contra omnes Theologos, & plane repugnans his omnibus, quae in Confirmationem conclusionis adduximus. Ostendimus enim, Chrisma ab Episcopo benedictum esse de essentia, ex prima institutione huius sacramenti: ergo benedictio facta à simplici Sacerdote est per se insufficientis ad faciendum Chrisma, quale à Christo institutum est: & hoc magis constat ex sequentibus. Ratio autem Caietani nullius momenti est: quia in causis & virtutibus limitatis nullum argumentum sumitur à maiori effectu ad minorem, quando vnus alterum non includit, neque ei subordinatur: quia enim ignis potest generare ignem, non recte inferemus posse etiam generare aerem, licet minus perfectus sit, quia reuera huiusmodi argumentum non est à maiori ad minus, sed vel à disparatis, vel potius à minori ad maius, seu à parte ad totum: quia maius est posse vtrumque, quam alterum tantum. Alioqui etiam posset Caietanus inferre, posse simplicem Sacerdotem templi, & aras consecrare, & omnia alia similia, quae minora sunt, quam Eucharistiam conficere. Quod tamen sine dubio falsum est. Quia, licet sint minora, tamen propria & speciale potestatem requirunt distinctam à potestate consecrandi Eucharistiam, quae limitata est ad actus suos. Sic ergo est in praesenti. Nam etiam confectio Chrismatis est supernaturalis actus à Christo institutus, requirens speciale potestatem ab eodem Christo datam: hanc autem, ut ex antiqua traditione colligitur, dedit Christus solis Episcopis, non simplicibus Sacerdotibus: neque etiam Ecclesia eam illis concessit, cum potius omnino illis interdicit tale ministerium.

Maior difficultas est, an saltem possit Ecclesia hoc ministerium conficiendi Chrisma concedere simplici Sacerdoti: tres enim falsas sententias in hoc reperio. Prima est Palud. d. q. 4. num. 34. qui sicut dixit, potuisse Ecclesiam ordinare, ut sufficiat ad hoc sacramentum Chrisma non benedictum, ita etiam dicit, posse ordinare, ut sufficiat Chrisma benedictum à simplici Sacerdote: & consequenter quidem loquitur: quia putat, nihil de hac Chrismatis consecratione Christum in particulari statuisse: sed sicut hoc fundamentum falsum est, ita & ea, quae illud consequuntur: ostensum est enim ex definitione Concil. Flor. & aliis, Episcopalem consecrationem esse de essentia huius materiae, & consequenter esse immediate de institutione Christi: ergo non potest Ecclesia absolute & simpliciter ordinare ut minor, benedictio, scilicet à simplici Sacerdote facta, sufficiat. Secunda sententia esse potest, per modum dispensationis, seu delegationis, posse hanc potestatem cedere simplici Sacerdoti, non solum à Pontifice, sed etiam ab Episcopo. Ita tenet Ledesma hic ar. 3. Fundatur in Concil. Tol. l. c. 20. vbi sic dicitur. Quamuis pene vbiq; custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel prouincijs Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit, ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma conficere. Ex quibus verbis non solum in fauorem huius sententiae sed etiam praecedentis, potest multiplex argumentum sumi. Primo, quia dicit, Pene vbiq; custodiri, ut solus Episcopus Chrisma conficiat: ergo non est simpliciter necessarium. Secundo, quia non dicit illud Chrisma, quod fiebat à Presbyteris, fuisse irritum & inane, sed solum prohibet in posterum fieri: ergo signum est il-

Caietani.

An Ecclesia possit concedere simplicibus Sacerdotibus ministerium conficiendi Chrismatis. Opinio. Palud.

Opinio.

illud prius antea factum fuisse saltem ex commissio-
ne Episcopi. Tertio, quia illa verba, Placuit ex hac die,
&c. valde indicant, hanc solum esse prohibitionem
Ecclesiasticam. Quod etiam videtur colligi posse ex
Concil. Carth. II. can. d. ex Concil. Bracharen. I. cano.
37. dicente, antiquos canones vetuisse, ne Presbyter
audeat chrisma benedicere: alioqui deponi iussisse.
Quarto ponderat Ledesma, quod infra dicitur, sine
cōscientia Episcopi, nisi Presbyteri agere presumat:
ergo, eo sciēte & consentiente, poterunt chrisma con-
ficere.

Sed nihilominus hæc sententia est sine dubio falsa.
Quia cōficere chrisma pertinet ad potestatem ordi-
nis: sed simplex Sacerdos ex vi suæ ordinationis non
habet hanc potestatem: ergo neq; Episcopus potest il-
lam dare per dispensationem, seu delegationem. Pa-
ter consequentia: quia Episcopi non possunt extrēdere
(vt sic dicam) potestatem ordinis ad alios, ad quos
character est de se insufficientis, sed solum possunt cō-
cedere potestatem iurisdictionis. Et hoc à fortiori ma-
gis constabit ex his, quæ dicemus circa consequentem
sententiam.

Nec decretum illud Concil. Toletani quicquam
obstat. Nam, quod dicit, pene ubiq; custodiri, & cat.
Non ideo est, quia alicubi aliter rite fieret: sed quia ex
ignorantia, vel prava consuetudine, aliter fiebat in
aliquibus locis. Et, quamuis Concil. ibi non dicat ex-
presse illud factum fuisse irritum, tamen neq; etiam
affirmat fuisse ratum: vnde verba illa prohibentia,
iuxta capacitatem materiæ intelligenda sunt, non
tanquam de nouo inducentia prohibitionem, sed
tanquam declarantia id, quod de se erat prohibitum,
atq; irritum. Denique ex illa negatiua, quod Presby-
ter nihil agere possit sine conscientia Episcopi, non
sequitur illa affirmatiua, scilicet posse omnia agere
sciēte, & cōsentiente Episcopo: solum ergo sequitur,
Presbyterum, etiam in his, quæ sibi concessa sunt,
dependere aliquo modo ex scientia & facultate sui
Episcopi. Addere etiam hic obiter possumus, dupli-
cem inter alios esse vsū chrismatum: vnum ceremoni-
alem respectu Baptismi: alterum substantialem, res-
pectu sacramenti Confirmationis: quamuis ergo
Ecclesia non possit concedere potestatem simpliciter ab-
solutam potestatem cōficiēdi chrisma, quod sit suf-
ficiens materia sacramenti Confirmationis, possit ta-
men concedere potestatem cōficiēdi Chrisma, quo
in vertice vngatur baptizatus: quia, cū hæc ceremoni-
a sit ex sola institutione Ecclesiæ, etiā eius materia
potest per Ecclesiā mutari. Quod ergo in illo Con-
cilio insinuat, fuisse aliquando alicubi abusum, vt
simplices Sacerdotes chrisma conficerent, nō est ne-
cessarium intelligi de chrismate Confirmationis: quia
non est verisimile, in aliquibus Ecclesiis Catholicis
hoc fuisse aliquando permillum, neq; fuisse tantam
ignorantiam in Episcopis, vt tali chrismate ad con-
firmandum vterentur: verisimilius ergo est, solum
ad ceremonialem vsū baptismatis hoc fuisse alicubi
ex negligentia introductum vel permillum.

Cont. Car.

Con. Bra.

Ledesma.

3. Opin. pro
babilis est.

Caietan.

Soto.
Victoria.

Tertia sententia est, iure diuino solum Episcopum
posse ordinarie verum chrisma conficere: nihilomi-
nus tamen posse Summum Pontificem hanc pote-
statem delegare simplici Sacerdoti. Ita opinatur Cai-
etanus hic. & in eandem sententiam inclinat Soto,
quem sequitur Victoria in sum. materia de hoc sacra-
mentum. §. 43. Fundamentum eorum est: quia magis
est Confirmare, quam chrisma conficere: sed, quam-
uis iure diuino solum Episcopus possit confirmare,
nihilominus Papa potest hanc potestatem delegare
simplici Sacerdoti: ergo multo magis hoc poterit
fieri in cōficiendo chrismate. Et hæc sententia tri-
buitur Scoto. d. 7. q. 1. Sed ibi nihil de cōfectione
chrismatum, sed solum de sacramenti Confirmatio-
nis ministerio disputat. Est tamē hæc opinio proba-
bilis propter rationem factam: nam si sacramen-
tum ipsum potest committi Sacerdoti, cur non ma-

terix preparatio? Item, quia alix consecrationes ca-
licis vel altaris possunt per summum Pontificem sim-
plici Sacerdoti committi: ergo & hæc. Patet conse-
quentia, tum quia hæc omnia tantum sunt quedam
sacramentalia: tum etiam, quia in Conc. Toler. VIII.
c. 7. equaliter dicitur, diuinam autoritatem Episco-
pali eminentiæ concessisse, quæ cæteris Sacerdotibus,
exercenda prohibuit, scilicet templorum Dei sacra-
tionem, chrismatum benedictionem, sacrorumq; or-
dinum institutionem, quæ à nullo altero confertur,
quam à solis Pontificibus, possunt.

Nihilominus contraria sententia probabilior, & Probabilior
Conciliorum decretis conformior videtur. Pri-
mum, quia ostensum est, de iure diuino solis Episco-
pis datam esse hanc potestatem cōficiēdi chrisma:
ergo sine sufficiente autoritate extendenda non
est hæc potestas ad alios, præter Episcopos: ergo sine
eadem autoritate, asserendum non est, Summum
Pontificem posse quasi extendere hoc ius diuinum,
seu hanc potestatem concedere simplicibus Sacerdo-
tibus. Antecedens colligitur ex Dionysio, Fabiano,
& Cypriano, & Concilio Rom. sub Syluestro, & a-
lius supra citatis, & ex Concil. Toler. VIII. cap. 7. &
ex Con. Vvormatien. can. 2. Chrisma, inquit, cōfi-
cere nullus præter Episcopum presumat: nam illi so-
li hæc dignitas concessa est. Sed maxime hoc confir-
mat Concilium Florentinum, agens enim de mini-
stro huius sacramenti, dicit esse Episcopum, tamen
aliquando ex concessione iēdis Apostolice simplici
Sacerdoti illud ministrasse ex chrismate per Epi-
scopum confectio. In quibus verbis significat, nunquā
factum esse, neq; fieri posse, vt hoc sacramentum de-
tur alio chrismate, præterquam chrismate consecra-
to ab Episcopo. Quod testimonium soluit rationem
in contrarium adductam: quia licet simpliciter ma-
ius quid videatur conferre sacramentum, quam
conferre chrisma: tamen reuera maius est vtrum-
que concedere simplici Sacerdoti, quam alterum
tantum. Vnde enim legitur aliquando concessum,
quod rarum est, & singulare, vt infra videbimus, &
ideo non est ad vtrumque extendendum, quod nun-
quam legitur factum. Vnde nostris temporibus Grego-
gor. XIII. dicitur concessisse potestatem confirman-
di in India sacerdoti simplici: hæc vero lege, vt ve-
reretur chrismate consecrato ab Episcopo. Et potest
addi etiam coniectura, quia multo minor est neces-
sitas huius dispensationis, quam alterius: nam sepe
potest accidere, vt Episcopi non possint mitti ad mi-
nistrandum hoc sacramentum, semper tamen po-
test facile fieri, vt simplex sacerdos, cui hoc ministere-
rium committitur, habeat chrisma ab Episcopo con-
secratum. Item, quia cum per se hoc sacramentum ad
Episcopum pertineat, si aliquando ex dispensatione
alteri committitur, expedit, vt saltem in ipsa materia
Episcopalis autoritas interueniat. Deniq; quia ex-
pedit, vt materia substantialis sacramenti, quoad o-
mnes suas conditiones essentielles, sit inuariabilis. Epi-
scopalis autem benedictio est substantialis cōditio
huius materiæ, vt ostensum est: & ideo non fuit con-
ueniens, vt variationem, seu dispensationem aliqua
reciperet: maxime cum hoc non sit sacramentum
necessitatis, & rarissime euenire possit necessitas, vel
iusta occasio talis dispensationis. Sed quærat eadem
aliquis, vt utrum è contrario possit summus Pontifex
priuare inferiores Episcopos potestate cōficiēdi
chrisma. Respondetur, non magis posse summum
Pontificem priuare inferiores Episcopos hac pote-
state, quam potestatem confirmandi: de qua infra di-
cendum est: quia etiam hæc conuenit Episcopo iure
diuino ex vi suæ cōsecrationis. Vnde talis actus præ-
cise ad potestatem ordinis pertinet, neque essentialiter
requirit potestatem iurisdictionis. Potest ergo
Episcopus iusta ex causa prohiberi, ne chrisma cōfi-
ciat, sicut potest etiam ab aliis actibus sui ordinis sus-
pendi, non tamen potest ita priuari potestate, quin
si idia-

Con. Tol.

Dionysio
Fabiano
& Cypriano
Concilio Rom.
sub Syluestro

Concilio Florentino

Grego. XIII.

Con. Vvormatien.

Con. Toler.

Nihilominus

Cypriano
Ledesma
Con. Pap.

si id faciat, factum teneat, quamuis male faciat, sicut de aliis actibus, prout sumpta potestate ordinis dici solet, & infra attingetur. Quo fit, vt chrisma confectum ab Episcopo heretico schismatico, vel excommunicato, verum chrisma fit, & sufficiens materia huius sacramenti: quia reuera illi couenit totum id, quod ex Christi institutione est de essentia huius materiae: quamuis contrarium doceat Cyprian. Epi. 70. sed ipse procedit in sua sententia, supra improbat, vt Aug. etiam notauit, nostram docens sententiam li. 5. de Baptif. c. 19. & 20. & tract. 118. in Ioan.

SECTIO III.

Que vnctio chrisimatis sit materia proxima huius sacramenti.

Primum de materia remota, superest vt de proxima dicamus. De qua primo, certum est, substantiam & essentiam eius consistere in vnctione ex chrisimate facta, vt ex Concil. Floren. & ex omnibus, quae hactenus tractauimus, constat, & ex generali regula sacramentorum, quod in illis, quae in vsu consistunt, proxima materia est actualis vsus materiae remota, circa eum, qui sacramentum recipit, vt in Baptifimo, materia proxima est ablutio, & in extrema vnctione, vnctio ex oleo benedicto: hic ergo est vnctio chrisimatis. Confirmatur, nam illa est materia proxima sacramenti, in quam proxime forma cadit: sed forma huius sacramenti proxime applicatur ipsi vnctioni: ergo vnctio est proxima materia. Confirmatur secundo: nam illa est proxima materia, per quam proximitas, & significatur effectus sacramenti: huiusmodi autem est vnctio, vnde est illud Tertull. Caro vngitur, vt anima consecratur. Caro signatur, vt anima Spiritu illuminetur; Tandem haec ratio sacramentum hoc saepe vocatur, Vnctio, & significare dicitur a chrisma Christi. Legatur Dionys. dict. c. 4. de Ecclesiastica Hierar. & Cyprian. Epistol. 70. & August. dict. tract. 118. in Ioan. Solum ergo superest explicandum, qualis & quanta debeat esse haec vnctio. Circa primum de qualitate dicendum est, de necessitate huius materiae esse, vt haec vnctio fiat in figura, seu signo Crucis, ita sentiunt communiter Theologi, D. Tho. hic. art. 4. ad 3. & alij in 4. d. 7. vbi Scotus qu. 1. in definitione huius sacramenti ponit, quod sit vnctio in figura Crucis: expressius Durand. ibi q. 2. num. 9. Gab. artic. 1. Soto art. 4. & alij. Probatur autem solet ex Stephano Papa in capite. Nunquid. de Consecra. d. 5. vbi dicit, Omnia chrisimata sacerdotalis ministerij Crucis figura perficiuntur. Sed ex huiusmodi generalib. locutionibus non colligitur essentialis ritus, vt superius circa testimonium Aug. in tra. 118. in Io. dicebamus. Probatur ergo ex veritate formae huius sacramenti, nam ille modus significatus per formam in vsu materiae, & necessarius ad eius veritatem, est et ex parte materiae necessarius, & essentialis: sed per formam significatur, vnctionem hanc debere fieri in figura Crucis, vt ex illis verbis patet: Signo te signo Crucis: ergo illa figura vnctionis est essentialis materiae. Dices, hoc argumento recte conuincit, de necessitate huius sacramenti esse, vt Episcopus signet signo Crucis eum, quem confirmat, non tamen probari, ipsammet vnctionem debere fieri sub figura Crucis, si posset enim Episcopus prius nudo pollice signare confirmandum, & postea simpliciter contingere seu vngere Chrisimate. Imo videtur hic ordo, & haec duplex actio esse consentanea verbis formae, quae sic habent: Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrisimate salutis: nam per priorem partem significatur consignatio, per posteriorem autem chrisimatis vnctio, & ita et possent facile interpretari Patres, cum hoc sacramentum vocant signaculum Dominicum, vt est apud Cyprian. epi. 73. & apud Euseb. ex Cornel. Pap. li. 6. Historiae, c. 33. alias 35. vbi vocat, Domini sigillum, quo baptizatus ab Episcopo obsignatur, nam ad hoc

fatis est, vt sacramentum hoc signo Crucis perficiatur, quauis ipsa vnctio sub illo signo non fiat. Vnde Ambros. illas duas actiones videtur distinguere libro 6. de sacramen. c. 2. dicens, Vnxit te Deus, signauit te Dominus seu Christus. Nihilominus certum existimo, signum Crucis debere adhiberi in hoc sacramento, non vt quocumque, sed in ipsa vnctione atque adeo illam figuram esse essentiali modum huius vnctionis, huncque esse sensum formae, vt sentit D. Thom. in dicta solutione ad tertium, & colligitur ex antiquis Patribus. Dionys. enim cap. 2. de Ecclesiast. Hierar. part. 2. circa finem dicit, peracto Baptifimo perducit baptizatum ad Hierarchiam, qui vnguento, quod maxime diuinos efficit, eum signat: alia vero traslatio habet, in signat: q. generalius verbum, magis q. quocumque est: tamen Innocentius I. dicta epist. 1. c. 3. proprie vicitur verbo signandi, seu consignandi, cum ait, Non licere Presbyteris frontem ex eodem oleo, i. Chrisimate, signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradit Spiritum S. Paracletum: & Greg. li. 3. epist. 9. Presbyteri, inquit, baptizatos infantes signare in fronte chrisimate non praesumant. Vnde propriissime Constantinus in suo edicto, Septiformis, inquit, gratiae sancti Spiritus consignationem adhibuit. Chrisimatis vnctione, vexillum sanctae Crucis in mea fronte liniuit, dicens: Signet te Deus, &c. constat ergo ipsam vnctionem faciendam esse in figura Crucis, & hunc ritum semper esse seruatum, sicut modo seruatur: & huiusmodi signationem significari per illud verbu formae: Signo te signo Crucis, vt et ex Pontificali Romano clare constat. Est ergo haec institutio, quae per patriam traditionem ad nos peruenit. Eius vero congruentia adhiberi potest, quia per hoc sacramentum designatur & armatur baptizatus miles, ad spiritualem pugnam: & ideo decuit, signo Crucis muniri, illudq. palam ferre, ne illud conuicti timeat, aut erubescat: quia vero sola vnctio est essentialis actio ex parte materiae huius sacramenti, ideo eandem fieri oportuit sub figura Crucis: quia per illam confirmatur homo, & miles Christi designatur.

Circa alteram partem de quantitate vnctionis, sicut supra de Baptifimo, ita hic distinguere possumus de quantitate, aut ex parte materiae seu chrisimatis, aut ex parte subiecti, quod vngitur. Ad priorē interrogationem facile dicitur, ea quantitate chrisimatis sufficere, quae satis sit ad signum Crucis imprimendum in ea parte corporis, quae consignanda fuerit. Vnde, cum haec consignatio successiue fiat, parua sane chrisimatis quantitate perfici poterit. In secunda vero interrogatione certum est, de necessitate huius sacramenti esse, vt haec vnctio fiat in fronte eius, qui confirmatur, quamquam n. hoc non explicetur in forma, tamen traditio & vsus docet, esse necessarium, & quidem de necessitate praecipue res indubitata est, idq. vt minimum docet D. Th. infra ar. 9. quod vero sit etiam essentialis, docuerunt expressius Durand. Scotus, Palud. Gab. Soto, Syluest. & alij supra citati. Et colligit omnibus ex decretis supra citatis, in quibus prohibetur simplicibus sacerdotibus sola illa vnctio chrisimatis, quae fit in fronte baptizati, quae dicitur propria Episcoporum: significant ergo Confirmationem essentialiter esse vnctionem, seu chrisimationem in fronte: & ita illa vocat Innoc. III. in c. vnico, de sacra vnctione: rationemq. reddit Concilium Florentinum dicens, Ideo in fronte, vbi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomine conuicti erubescat: & praecipue Crucem eius, quae Iudaeis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod Crucis signo signatur, ex Aug. enarratione ad Ps. 141. dicitur: Vsq. adeo de Cruce non obsecro, vt non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem: & subdit, Quaedam sacramenta aliter atq. aliter accipiuntur: quaedam ore, quaedam per totum corpus: qui a vero in fronte erubescit ille, qui dixit: Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre

Ambros.

Raffonso.

D. Thom. Dionys.

Innoc. I.

Gregor.

Qua signa-
riae quan-
titas neces-
saria.

D. Thom.

Durand.
Scotus.
Palud.
Gabriel.
Soto.
Syluest.

Innoc. III.

Augustinus.

Parte